DE LVE VNGARICA.

THESIS PRIMA.

CALAMITOSA mortalibus peſtis eſt Lues, quàm vocant, Ungarica, cum bello & fame ſingulare Dei flagellum; contagioſum, crudele, funeſtum abominandumq; morbi genus, ſubdolum improviſo invaſionis inſultu, miſerabile progreſſu, terribile pleno concomitantium malorum catharmate, truculentum in quosvis, nulli parcens temperamento, ſexui, ætati, conditioni: temperatis fermè æquè infeſtum ac heluonibus.

2. Ejus rationes obſcuriores & intricatiores etiam peritiſſimis in arte noſtra faceſſunt negotium: Cum verò hoc tempore immaniter paſſim in vulgus graſſetur, non abs re facturos exiſtimavimus, ſi eam ſub diſputationibus incudem revocemus: Non quidem eo animo, ut quævis ad iſtam materiam facientia producamus, ſed ſolum modò ut maximè neceſſaria & fructuoſa attingamus.

3. Quapropter circa ejus Naturam & Curam noſtrum exercitaturi ingenium, exquiremus quæ ad tam virulenti πανδημικοῦ infeſtiſſimiq; humanæ vitæ hoſtis familiam ac indolem cognoſcendam, ejuſdemque fomitem ac ſobolem præcavendam & extirpandam facere videbuntur. Unde eum ſperamus fructum & utilitatem, ut prompti & ſufficientes ad expugnandum hunc microcoſmi deſtructorem in palæſtram medicam prodire poſſimus.

4. Natura morbi conſideratur in ejus definitione & in iis quæ definitione comprehenduntur; ut ſunt nomen rei definitæ, genus ceu forma ejus, ſubjectũ quod eſt loco materiæ, cauſæ efficientes, & quæ inferuntur ſymptomata: quæ itidem ſignorum exhibent materiam, tum diagnoſticorum tum prognoſti-

eorum. Cura est tum prophylactica seu præservatoria, tum therapeutica, quam specialiter curationem appellant.

5. Ungaricam luem describere, nedum definire ita ut essentia rei exprimatur & Logicorum ἀκριβείᾳ satisfiat, difficillimum, ni planè impossibile est. Dicimus tamen quòd sit Febris pestilentialis, ipsa peste paulò mitior, synocho putridæ, accedente tamen malignitate epidemicâ, assimilis, pravitate militaris diætæ plerumque concepta; æstuatione corporis, virium lapsu, capitis dolore, mentis conturbatione, faucium ustelâ maculisque petechialibus potissimùm insignita.

6. Nomen habet ex occasione, quòd in exercitu Ungarico Anno præteriti seculi LXVI. non quidem primùm nata sit, sed quàm maximè innotuerit, indeque progressa totam ferè Europam contagio suo infecerit: quidam febrem petechialem & lenticularem vocant, ob maculas pulicares, ceu μώλωπωνες, quas petechias seu pestigias nominant Itali, non rarò supervenientes: nostratibus **Vngerische seuch / Fleckenfieber / Dollhaupt kranckheit / Hertzbreun.**

7. Quamvis autem antiquum satis evidens huic morbo non suppetat nomen, novum tamen illum esse veteribusq; incognitum non dicimus, cum quædam ejus non ambigua apud Hipp. in lib. Epid. extent vestigia, exindeque usque ad initium præteriti seculi minùs viguisse videatur. Et sanè jam olim omnis morborum prosapia in causarum suarum potestate fuit completa, indeq; ceu è Pandoræ pyxide in orbem emissa, unde illi subinde servatis quasi periodis, quandoque plurium annorum curriculo delitescunt, quandoque innovatis quibusdam accidentibus denuò prodeunt mortalium vitas oppugnatum.

8. Genus quod attinet morbum esse patet, quia primò lædit actiones, eumq; febrim, quia cum perfrigeratione invadens in morem febrium corpus exurit. Febrim alii Synochum, continuamq; putridam, alii ardentem, alii verò ob adjunctum venenum malignam & contagiosam esse dicunt: nec ista quidem

dem adeò male, ſed non ſufficienter. Nos peſtilentem definimus: Speciale interim genus & formales differentias, cum in re abdita exprimere nequeamus, ex cauſarum & effectuum intuitu perpendenda relinquimus.

9. Dum verò peſtilentem febrim aimus, eo ipſo de natura ac forma luis Ungaricæ eſſe aſſeveramus, primò quòd intemperies ſit calida, deinde quòd occultus, venenatus ſeu malignus, contagioſus, Epidemius, pernitioſus ac totius ſubſtantiæ ſit affectus, ſeu ut Paracelſici loquũtur, Aſtralis: Cujus quidẽ propria ratio cõſiſtit in ſpecifica deleteria cordi corporiq; inducta malignitatis proprietate, quæ ipſi peſti non ita eſt toto genere aliena quin potius minore Veneni exaltatione aliquanto ſit inferior.

10. Nequaquam igitur ſatisfaciet ſi quis eam ſimpliciter Ardentibus, Synochis, Continuis quibuſcunque febribus accenſeat, tanquam ſolâ putredinis vehementiâ iiſdem deteriorem: Quamvis enim venenum luis Ungaricæ plerunque corpori dyſcraſiâ qualitatum ac humorum laboranti faciliùs ingeneretur vel immittatur, eidemq; inductum efficaciter humores conturbet & inflammet, ut morbus iſtis febribus non appareat adeò diſſimilis, illud ipſum tamen Venenum ab omni quantumvis ingenti putredine & exceſſu qualitatum elementarium longè eſt diverſum.

11. Subjectum luis Ungaricæ quâ morbus proprium eſt Cor, quod & ſub ratione febrilis dyſcraſiæ & ſuâ malignitate deleteriâ primò obſidet & oppugnat: quoad fomitem ejus, eſt potiſſimum ſanguinis intra venas majores maſſa, concipiendis putredini & Veneno per quàm idonea: adde ventriculum, Meſenterium & hepar, in quorum colluvie Venenum facilè radicatur: quoad concomitantes morbos & ſymptomata, ſunt cor, cerebrum, fauces, pectus, denique totum corpus, cujus ſingulis membris aliquid offenſionis impertitur.

12. Cauſa proxima eſt ipſum Venenum ſeu malignus quidam ſpiritus, ex eorum genere quæ Hipp. μεγάλας δυνάμεις

ἔχουσα & τὸ θεῖον ἐν νουσοισι, Gal. νοσερὴν ἀπόκρισιν, Paracelsici astra rerum, vulgus occultas & specificas proprietates appellat. Quod Venenum potissimùm non nisi ex effectu suo, quod vitalem calorem devastet, talemque inducat morbum, adeoq; à posteriori cognoscere & per Analogiam comparatione majoris & minoris mundi quadantenus explicare possumus.

13. Venenum hoc originem habet ex chao, in quo omnia quæ in certis creaturis sunt manifestata delitescunt invisibiliter, indeq; subinde per sua astra excitantur. Estq; adeò πολύμορφον miraq; varietate & multiplici nocumento fœcundum, ut plurimarum tincturarum miscellâ videatur esse imbutum. Est Arsenicale, ob ardores quos linguæ totique corpori infert; est Mercuriale, ob delitia; Opiaticum, ob veternũ; Dipsaticũ, ob sitim; de natura Apii risus, ob anginam; Colocynthiacũ, ob Diarrhœã; Flammulare, ob pustulas; Aconitale, ob petechias &c.

14. Causa antecedens Luis Vngaricæ interna est apparatus morbosus seu dispositio corporis ejusque contentorum, quâ apta sunt ad tale Venenum vel intus gignendum vel extrinsecus recipiendum; qui apparatus consistit in quacunque corporis dyscrasia, præsertim autem in plethora & cacochymia, quippe quæ materiam substernunt putredini febrilem calorem excitanti, & ipsius Veneni sunt fomes. Unde licet Lues Ungarica ratione Veneni sibi sit similis, pro morboso tamen apparatu corporisque naturâ variis & penè infinitis modis variatur, & modò continuam quotidianam, plerunque tertianam, aliquando quartanam imitatur.

15. Concipi & gigni intra nos posse venenum ex humoribus & spiritibus, quando à naturæ regimine ad talem pravitatem desciscunt, proclamatum est, idque in illis videre licet qui non contagio sed suomet vitio vel etiam ex terrore ac meru luem illam incurrerunt. Gigni dicimus non tàm per transmutationem quàm per separationem (cui plurimùm opitulari putredinem non negamus) quando videlicet semen veneni, quod

juxta

juxta πανσπερμίαν veteribus quoq; philosophis disertè agnitam, in nobis delitescit, ex orco in lucem (ut loquitur Hipp. 2. de diæta) progreditur. Insunt enim in homine, inquit Hipp. de vet. medic. sexcenta varias habentia facultates, quorũ si quidpiam secretum fuerit, conspicuum fit & hominem molestia afficit.

16. Atque hinc cum nulla non corpora aliqualem habeãt apparatum ac intra se se potestate complectantur symbolum veneni Ungarici, fit ut nec ulla ab ejus, si præpotens fuerit, contagio infici non possint: interim tamẽ illa in quibus evidentior est apparatus morbosus, adeoque in quibus minor est naturæ resistentia, præ aliis ad luis Venenum esse disposita non est præter rationem & experientiam. Et prout vel ipsum venenum est intensius aut remissius, vel prout dispositũ invenit corpus, quam plurimas, sæpè etiam cõtrarias, inducit morbi varietates.

17. Causæ externæ sunt quæcunque forinsecus impugnant corpus, idq; vel ad talem luem apparãt ac disponunt, vel ipsummet venenum ingerunt: cumque affectus sit Epidemius, plures eodem tempore occupans, causas quoque communes esse oportet: Sunt autem imprimis tum quodlibet rerum diætetica-rum vitium, nominatim illa ipsa pravitas qualem vel sponte vel etiam coactè milites sectantur: tum Cœlum infectum, insalubre vel iratũ, quo nomine Aërem, Sidera & Deum subintelligimus.

18. Milites enim è diversis nationibus, diversorum temperamentorum, plerunque etiam contrariorum affectuum morbidorum participes collecti, expirationibus contrariis sese invicem afflant, & subitaneis mutationibus modò nimioperè sitiunt & esuriunt, modò immoderatiùs se replent: Subinde fructibus immaturis, frugibus vitiatis, carnibus semicrudis & corruptis, oleribus conspurcatis, vescuntur: Hauriunt aquas cœnosas impuras: modò diffluunt otio & ignaviâ, modò laboribus conficiuntur: modò sudant, modò rigent, &c. Iisq; omnibus luis Ungaricæ generationi veluti obstetricantur.

19. Aër Ungaricam luem infert, quando gravibus tempe-

statum

ſtatum mutationibus prætet ordinem incidentibus alteratur, veluti quando æſtas eſt præhumida, turbida, nebuloſa: inprimis autem quando polluitur impreſſione aſtrali, vel putrium malignorumque Vaporum miaſmatibus, ex inquinamentis ac ſordibus caſtrorum, ex cadaveribus, ſtagnis putreſcentibus &c. exhalantibus. Cùm enim ſingulis momentis per pulmones & arteriarum pulſationes attrahamus aërem, fieri nequit, quin id quo iſte imbutus eſt, vitium potentiſſimè cõmunicetur corpori.

20. Supra omnia autẽ efficax eſt inquinatus aër, quando is morbidas venenatæ exhalationis perſpirationisve excretiones ſeu ἀποῤῥοίας ab iis qui eo morbo affecti ſunt ſuſcepit & in alios obvios transfert: quod quidem eſt contagium, quo ſemina luis Ungaricæ cum ſemel excitata fuerint, ſucceſſivè longe latèque propagantur, ut ſubinde integra caſtra, pagos, civitates inficiant. Contagium tamen hoc propinquioribus activitatis ſuæ limitibus plerumque circumſcribitur, ut nonniſi viciniorem aërem adeoque propius occurſantes homines corripiat.

21. Sidera licet per ſe bona ſint & ad rerum generationes & conſervationes à conditore comparata, ex accidenti tamen in aëre aliisq; rebus & in ipſo homine varias mutationes & corruptiones efficiunt: non tantum tempeſtatum mutationibus & occultis, quas ſtatuunt, influentiis, ſed inprimis eâ ratione quòd diverſis poſitionibus & Syzygiis exaltata, conſpirantia rerum interna aſtra ad conſimilem exaltationem pelliciunt: quemadmodum fides percuſſæ conſonantes alterius teſtudinis chordas ſono ſuo percellunt: Vnde & luis Vngaricæ ſemina excitare poſſint.

22. Deum juſtiſſimum impietatis & ſcelerum militarium vindicem, ut alios ita & hunc morbum pœnæ loco mortalibus immittere, vel ut immittatur cauſis ſecundis concedere, nemo niſi ἄθεος negaverit. Agnovit id Homerus inducens Appollinem peſtifera ſpicula in Græcorum exercitum ejaculantem. Ideoq; primam hanc cauſam in conſideratione luis Vngaricæ præterire piaculum eſto.

23. Porrò

23. Porrò ſymptomata luis Vngaricæ ſupra modũ ſunt multa ac varia, tum in eodem tum in diverſis ſubjectis, & ſubinde etiam contraria: adeò quidẽ lues hæc quovis Protheo eſt mutabilior, & inſtar Pandoræ Heſiodeæ in omnes Deas imperiũ obtinentis, imò inſtar communis Furiæ, nullis non humani corporis partibus aliquid nocumenti aſpergit. Cauſa varietatis eſt tum in fœcunditate malignitatis, tum in diſpoſitione & diverſitate ſubjectorum diverſimodè apparatorum.

24. Principiò huic morbo obnoxii per dies aliquot corporis laſſitudinem perſentiſcunt, pandiculationibus tenduntur & animi inquietâ curioſitate anguntur dum paulatim venenum ſubdolè calori nativo inſidias ſtruit humoresq; ad corruptionẽ diſponit & ſpiritus cõturbat: tũ verò malitia in actũ prorumpẽte, horrore ac frigore corpus perfunditur, ſive diffuſis per loca nervoſa expirationibus, ſive retracto ad fontẽ ſuum calore nativo.

25. Mox naturâ morbo reluctante æſtuare incipit corpus, ſæpè ab initio ad tactum mitius, inſiſtendo tamen mordacius, incendio interim interiùs deſæviẽte. Dolet caput vehementer & vertigine titubat, aures hebeſcunt, fluctuante tinnitu obtunditur cerebrum, tempora moleſtè pulſant, ſtrident dentes, nares pruriunt & ſubſtillant, urgent ſomni laborioſi turbulentique, ſæpe veterno, plerumq; pervigiliis vexantur, ſubinde delirijs ac phreneticis furoribus, præſertim æſtivo tempore, aguntur.

26. Reſpiratio fit frigida, difficilis, ſuffocativa, crebra, fœtida, ſæpè cum lateris, pulmonum gutturisq; inflãmatione & hæmoptoiſi: Os eſt aridum æſtuq; patulum, labra fiſſa, lingua ſcabra, fauces nigricante ardore exuſtæ (prunellam & anginam appellant) Sitis quàm pro ratione caloris major vel minor, Cibi faſtidium, Vomitiones, Singultus, morſus ſtomachi, cordis ardor, exiccatio, anguſtia & palpitatio, cũ frequẽtibus animi deliquiis.

27. Præterea corpus crebrò convellitur, ſubinde horret tremitq; plurimâ inquietudine jectigatur: hinc inde Eryſipelate corripitur: vires dejiciuntur etiam absq; manifeſta cauſa: pulſus

fit formicans, parvus, intermittens, inordinatus; Sudoribus diaphoreticis, frigidis, minutis, exolvuntur; Hypochondria tenduntur; Hepar siccitate finditur, Renes colliquescunt; dorsum cruciatur; venter torsionibus exercetur; alvus profluit cum ingenti fœtore; Interanea incredibilem in modum vermibus scatent & pituitâ putridâ; facillimè abortiunt gravidæ, Urina primò præter rationem aquosa, cruda vel sanorum similis est; deinceps subjugalis, crassa, turbida, rubra, fœtida, viridis, cum ardore molesto; maculis deniq; pulicum morsus referentibus plurimis, rubris, plumbeis, luridis, respergitur corpus.

28. Sic quidem habent symptomata ceu fructus hujus mali, quæ & ipsa signorum vice sunt ex quibus ipsam luem veluti ex effectu causam agnoscere possimus. Cùm verò nullum eorum per se seorsim sit pathognomonicum ac sufficiens, ne quid eremus, singulorum illa ex latente malignitate energia, quæ verbis exprimi nequit, usu agnoscitur, & deinde συνδρομὴ quàm plurium erit attendenda. Quemadmodum autem præcedentis diætæ pravitas & vigescens contagium Epidemicum protinus de tali morbo aliquã suspicionẽ injiciunt, sic postea judicium confirmatur si symptomata recẽsito modo habere inveniãtur.

29. Prognosis hîc ut in plerisq; morbis malignis longè est difficillima, cum sæpè epigenomena appareãt leviora & tamen à latente veneno ex improviso vita destruatur; & vicissim aliquando accidentia pessimè habere putentur, & tamen convalescat æger. Interim plerumq; tantò majus indicatur periculũ quantò levius, præter tamen morbi rationem, habere videatur æger, quia veneni subtilitas & virium prostratio arguitur: vel quantò ea quæ enumeravimus symptomata fuerint intensiora, majorq; in ægrotante imbecillitas & dysphoria conspiciantur: quod specialius persequi nimis longum foret.

30. Sic naturam luis Vngaricæ breviter exposuimus, nunc ad curam ejusdem progredientibus Præservationis ante omnia ratio est ineunda, cujus quisq; tanto studiosior esse debet,

quanto

quanto ea est facilior & quanto turpiùs ejicitur quam non admittitur ille hospes. Cum verò ad effectum inducendum duo concurrant, videlicet activitas agentis & habilitas seu receptio patientis, præservatio ad duo illa nempe ad causas externas & ad subjectum corpus fuerit dirigenda, causas disponendo ne corpus afficiant, & corpus ut causis resistat muniendo.

31. Causas externas diximus esse Deum, sidera, Aërem, qui contagii semina includit, & Diætam pravam. Deus ante omnia non thure & hostiis, sed precibus, pœnitentiâ & vitæ emendatione placandus & ad misericordiam flectendus est, ut propitius sit & malum avertat. Siderum influentias cum (ut est apud Jobum) nemo ligare possit, satis est si corpus contra earum receptionem muniatur, ad quod Xenechta & pentacula constellata multum facere creduntur.

32. Vitium Aëris evitamus dum illũ vel immutamus vel declinamus. Declinamus quidem quando nos ab infectorum consortio, quâ fas est, cohibemus vel maturè in locũ magis salubrem recipimus. Immutamus aërem (sublatis ante omnia inquinamenti causis) per ignem & suffitum. Succenduntur ligna flagrãtia, frondes juniperi, pulvis pyrius, Sulphur. Suffumigatio fit baccis juniperi, thure, Succino, aviculis Cyprijs, aceto simplici vel bezoardico prunis vel lateri candenti asperso.

33. Victus ratio ab omni pravitate & excessu ad frugem revocetur: quantum fieri potest à noxijs inquinatisq; abstineatur, Salubria eligantur: esculenta aceto, baccis juniperi, Cumino, Fœniculo, Aniso, Zedoaria, Allio, Myrrha, alijsq; Bezoardicis condiantur: Potui C C. ustum, Baccæ juniperi, vel lauri, Scordium, Card. bened. rad. Helenij vel Ostrutij injiciantur. In somno, vigilijs, motu, quiete, animiq; passionibus excessus defectusq; fugiantur: ne corporis natura non tantùm contra venenum, sed & contra sua, quibus foveri debet, subsidia pugnandũ habeat. Inprimis absit diffidẽtia & metus, quoniam imaginatio, ut J. C. loquuntur, facit casum, eâq; vigẽte nihil valẽt Antidota.

34. Præservatio ad corpus dirigitur, dum id ipsum contra receptiones & impressiones veneni munimus: quod fit quando vel apparatum morbosum emendamus, totũ corpus ejusq; cõtenta ad mediocritatẽ reducendo, dyscrasias alterando, plethoram sive ad vires sive ad vasa sit minuendo, cacochymiã vacuando, evaporationẽ promovẽdo; vel eidem corpori, inprimis cordi, tãquã summo vitæ propugnaculo, robur & præsidiũ Bezoardicum, quo veneno resistat ejusq; igniculos elidat, præstamus.

35. Ideoq; quia refert corpus esse quàm mundissimum & fomitis expers, illi qui circa primas vias collectam habent aliquam pituitæ & bilis sentinã, ut plerũq; esse solet, evacuent eam blando medicamine, prout materia vergit vel sursum, per Asarum, Aq. Raphani, Infus. stibiatum: vel deorsum per Mechoacannam, pulv. diasennæ, Elect. Diacathol. pill. Ruffi, Extract. Panchimagogũ, vinũ purgãs medicatũ, &c Curãdũq; ut alvusquotidie suum faciat officiũ. Et ne natura corporis nimio sanguinis onere prematur, vel ejusdẽ corruptione obruatur, tundatur vena cubiti: vel saltem cucurbitulis copiosius educatur sanguis.

36. Evaporatio corporis seu perspiratio insensibilis libera esse oportet, quia ea imprimis fuligines vaporesq; corporis, quæ proximum veneni sunt receptaculum, quin ipsa quoq; luis semina dissipat & è corpore auffert. Promovetur ea sudoribus hebdomadatim bis utiliter repetendis, & quidẽ adhibitis medicamentis diaphoreticis quæ simul sint Bezoardica, ut sunt C.C. ustũ, terra sigillata, Elect. Sambuci, Theriaca, pulv. Card. benedict. aliaq; infra enumeranda.

37. Robur & præsidium præstamus cordi & balsamo vitali totiq; corpori, ejusmodi facultatis medicamẽtis, quæ, quia veneno sunt contraria, Antidota, Alexiteria & Bezoardica appellantur, ut venenum in limine repellant extinguant ac cor præcludant. Quorum quidem vis est specifica nec magis quàm ipsum cui ea opponuntur venenũ ratione perspecta, sed frequenti experientiâ inventa & comprobata. Et quidem corpori vel extrinsecus adhibentur vel intrò sumuntur.

38. Alexiteria quæ extrinſecus adhibentur ſunt Amuleta, illinitiones, ſuffitus, odoramenta, & quæ ore geſtantur. Amuleta ſunt Xenechta Arſenicalia vel Mercurialia, lingua Viperina, fruſtum pellis Melis. Illinuntur naribus, temporibus, auribus, carpis & cordis regioni balſamus ſuccini, citri, Rutæ alijq; non nimis acuti, Aq. roſea, theriacalis, acetum Bezoardicum. Poſcâ manus & os abluuntur. Suffitus ipſius corporis & veſtimentorum fit ſupra enumeratis vel etiam candelâ quam tantopere commendat Conradinus. Manibus geſtãtur odoris gratiâ Ruta, malum citrium, poma Ambræ camphorata, ſpongiola aceto imbuta pilæ ligneæ incluſa. Ore volvuntur paulatimq; devorantur cortices citri, Zedoaria, Myrrha, Angelica, baccæ Lauri, juniperi, macis, &c.

39. Alexiteria præſervandi causâ intro ſumenda præter jã modò, itemq; theſi 33. & 36. dicta, & infra dicenda, ſunt Theriaca, Mithridatiũ, Elect. de ovo, confectio liberantis, Elyxir proprietatis, Diaſcordium, Pulvis Moibani, Flores Sulphuris, Extractum Zedoariæ, Angelicæ, Rob Juniperi, acetum vel vinũ Scordij, Card. bened. Valerianæ, Leviſtici, Vincetoxici, Imperatoriæ, Carlinæ, Scorzoneræ, aliorumq; Bezoardicorum viribus imbutum, &c. de quibus ſingulis matutinis aliquid devoratur vel ſorbetur: ijſdemq; quandoq; in juſta doſi aſſumptis promovetur ſudor.

40. Hactenus de præſervatione ſeu præcautione ſanorũ, nunc ad eorum qui Lue Vngarica correpti ſunt curationẽ therapeuticam accedimus: quẽ dum ex præſcripto Methodi, adhibitâ ſimul per experientiam comparatâ συνίσει medicâ, obitur, quadruplex cum primis ſeſe offert Indicationum ſeries: Vna Præſervatoria, reſpectu morboſi apparatus cauſarumve morbũ inſinuantium & foventium: altera vitalis, reſpectu cordis corporisq; totius virium: tertia Curatoria, ipſius inducti morbi ſeu febrilis ac venenoſæ conditionis reſpectu: & quarta Mitigatoria, reſpectu affectuum & ſymptomatum concomitantium.

41. Præservatoria indicatio respicit causas & apparatũ morbosum, quæ ut morbũ inducere potuerũt, sic eundẽ cõservãt, jisq; manẽtibus excindi nequit affect°. Deus igitur anteomnia precibus conveniẽdus: Aër ubi decumbit æger corrigendus & alterandus. Cibis nutriendum corpus facilibus euchymis, ut sunt juscula cerevisiæ vel carniũ, ptisana, pruna, olera spinachiæ, oxalidis, lactucæ, cerefolij, ova tremula, carnes tenellæ. Condimẽta sint acetum, Agresta, succus berberum, limonum. Potus sit cerevisia infusionis C. C. usti, aq. hordei cum C. C. indeq; emulsio è seminibus, decoctum scorzoneræ cum modico Cinamomi, &c. Cæteraq; ad diætam spectantia juxta legesartis conformentur.

42. Evacuationes præservationis ergò requisitæ si eatenus fuissent neglectæ, corpusq; ijsdẽ ob cacochymiam vel plethoram indigere videatur, statim ab initio primo quoq; die sunt instituendæ. Proritetur vomitus medicamentis idoneis sufficienter agẽtibus: Si quid de impuritatibus primæ regionis relinquitur per alvum benignè eccoproticis exigatur. Tum incidatur vena in cubito quæ turgentior videatur, non tantum ut depleatur sanguis redundantior, quippe qui primò se se substernit Spiritui venenoso, antequam universus malignam corruptelam suscipiat, sed & ut corpus eventiletur. Venæ sectionem minore virium jactura supplent cucurbitulæ: postmodum si videatur per oportunitatem, præmissis digestivis, seligente pharmaco expurgari potest cacochymia.

43. Hæ autem evacuationes quia directò & per se veneno non opponuntur, nec aliter nisi quoniam apparatum morbosum aufferunt & prætermissæ curationem impedirent, adhibẽtur, cavendum ne vel differantur vel citra urgentem necessitatem adhibeantur: ne videlicet temerè motis humoribus vasisque exinanitis & viribus dejectis venenum interea neglectum liberiùs dominetur. Ideoq; eo respectu jure meritoq; à multis tantoperè damnatæ sunt.

44. Vi-

44. Vitalis indicatio virium rationem habendam esse monet, quippe quibus labascentibus ac repugnantibus irrita sunt omnia: Ideoq; natura roboranda internis externisq; confortantibus; quem in finem dãtur conserva rosarum Vitriolata, syrup. Granat. Carnes citri condit. Aquæ cordiales perlatæ, Manus Christi, Tab. è succo berb. Ribes condit. confect. Alkerm. spec. Cordial. Extract. Cord. Noriberg. Magist. perlar. Corall. Aquæ caponum contusa Gallinarum, &c. Extrinsecus pulsibus cordisque regioni applicantur sacculi, naribus admoventur fragrantia, &c.

45. Curatoriarum indicationum quæ morbificam dispositionem ejusq; causam proximam concernunt, aliæ sunt principales à veneno venenosaq; dispositione desumtæ, quibus per contraria Alexipharmaca poscuntur eradicantia per modũ extinctionis vel dissipationis: aliæ minus principales, à putrido calore febrili petitæ, quibus refrigerantia, ebullitionem cohibentia, fuligines discutientia, putredinem compescentia requiruntur. Quibus scopis satisfacimus exhibitis convenientibus seu appropriatis Alterantibus & Diaphoreticis sudoremue cientibus: externis interim quæ convenire videantur non neglectis.

46. Alterant refrigerendo, putredinem extinguendo, venenum compescendo, succus granat. limon. citri, oxalis, cichorium, verbena, pentaphyllum, tormentilla, scorzonera, calendula, santala, Rosæ, Berberes, Ribes, Acetum, Nitrum præparat. Spiritus vitrioli, Lapides pretiosi, & quæ insuper thesi 39. adducta sunt: Ex quibus aq. stillatitiæ, Syr. Infus. Apozem. conservæ, rotulæ, plures q; aliæ formæ præparantur & mox ab initio & frequenter pro re nata usurpantur.

47. Sudores proritamus tum ijsdem Bezoardicis antea sæpius nominatis, tum quæ insuper in usu communi sunt vel pro cujusq; experientia specialiter præparantur: qualia habetur Terra Sigillata, bolus, Lapis Bezoar, Alcool serpentum, sulphur fixum, Antimonium fixum, Spiritus Mercurii Diaphoreticus

ticus, Spiritus Tart. Diaphor. Paracelsi in peracutis, pulvis Rubeus Cæsareus, Spir. C. C. &c. Sudor urgeatur per aliquot horas & benè abstergatur, patiens cordialibus & jusculis reficiatur, à somno per multas horas coerceatur, quin & sudor quoties opus est repetatur.

48. Superest ultima indicatio Mitigatoria, quæ concomitantes affectus & symptomata respicit: quæ licet domito ipso morbo per se evanitura sperentur, quoniam tamen subinde vehementiùs quam præcipua morbi constitutio vires prosternere & laborantes perdere solent, unâ cum ordinaria morbi ratione in considerationem vocanda & quantum fieri potest sub primam apparitionem excindenda sunt, ne neglectu invalescentia gravissimè affligant.

49. Ideoq; ventriculo nauseanti dolentiq; prospiciendum leviter evacuando, succisq; acidis firmando, vel ptisanâ aliisque benignis placando, & exterius blandè oleis sacculisq; fovendo. Cordi palpitanti ac labascenti odoramentis, modico vino, aquis, succis vel confectionibus cardiacis, sacculisq; & Epithematibus (cavendo semper actu frigida) subveniendum. Ardor sitis & linguæ scabrities corrigenda Nitro præp. Emuls. vel mucagine seminum, julapiis acidis, succis & collutionibus.

50. Pręterea dolores capitis, inquietudines, vigilię, deliria sunt compescenda frictionibus, oxyrrhodinis, Vng. refrig. pullo sc[illegible]so capiti imposito, Syr. papav. vel etiam Laudano. Veterna discutiendus frictionibus, odoratu aceti, fomentationibus. Disauditio removenda vapore decocti attenuantis carminatis auribus recepto, &c. sed horum & reliquorum quæ Lui Vngaricæ accidere solent, plenaria curatio ex arte Methodi altiùs arcessenda, totumq; adeò hoc argumentum qui pleniùs noscupit, eos adeat qui id ex exprofesso tractant.

Πάντοτε δόξα θεῷ.

FINIS.